DE S. SPIRITVS ADVENTV ORATIO



Habita

IN SACELLO PONTIFICVM QVIRINALI

A IO. FRANCISCO ALDOBRANDINO
Sem. Rom. Conuict.

VRBANO VIII.
PONT. OPT. MAX.



EMINENTISS. PRINCIPI

HIPPOLYTO

CARD. ALDOBRANDINO
S.R.E. CAMERARIO

IO. FRANCISCVS ALDOBRANDINVS F.



V A S in huius orationis fronte lineatas Turres vidisti; EMIN.ME PRINCEPS, alteram confusione sermonum disiectam; alteram cōcordia linguarum ad Cælum feliciter tendentem. Diuinæ fuit illud opus Vindictæ, hoc CLEMENTIAE. Hinc satis liquet eandem orationem, præter alias causas, etiam ex argumento à me Tibi deberi. Siquidem iampridem CLEMENS VIII. P. M. effecit, vt quicquid Clementiam aut sonat, aut spirat, quasi hæreditario



ORATIO.



IVINVS Architectus, qui Mundum nihilo pro materia, lingua & voce pro operarijs vtens fabricauit; non ſemel deinde linguarum operam adhibuit, vt aut malè inchoata ſubuerteret, aut optima conſtrueret ædificia. Linguis diſcordi ſono loquentibus diſturbata eſt Turris illa Babelis, quam vſque ad Cœlum verè ſtultitia petitum attollere mortales decreuerant; an vt in Cœlo & ipſi habitarent, quaſi iniuſta diuiſione Cœlum Cœli Domino, terram autem datam filijs hominum indignantes? an vt propiùs oſtentarent Cœlitibus, quid artis ac virium hominibus licet terræ incolis ſuppeteret? an vt commercia cum Superis, quæ ſibi maximè quæſtuoſa fore ſperabant commodiùs exercerent? ſed ſublata ſermonis communione ſpes quoque adempta eſt non modò cœleſtis, verum etiam terreſtris commercij. Confuſo linguarum ſono ſimul cœptæ Turris ſtructura, & muta laterum veluti harmonia confuſa eſt. Igitur ſapientiori conſilio Eccleſiæ Turrim fini-

Geneſ.11.

Pſal.113.

finitimā Cœlo ædificaturus in terris Diuinus Amor linguas in fabros demisit concordissimas. Neque sanè in turris fabrica discordare potuerunt linguæ, quæ non modò corda plurima fecere concordia, sed
Act. 4. ex omnium cordibus cor vnum, & animam vnam quodammodo fabricarunt. Aptissimè quoque linguas prębuit conflatas ex igne, cuius id ingenium est, vt rebus omnibus in vnam, id est in suam formam compactis vnus ipse instar lucidę pyramidis, vel flammantis Turris in Cœlum assurgat, & splendida mole sacram Ecclesiæ Turrim ęmuletur: cuius ędificationem, ac præstantiam, linguarum concordium opera memorabilem, consilium nunc mihi est oratione repræsentare.

Quid autem causę fuit, cur lapsę de Cœlo linguę super lectissimi cœtus capita non stetisse, sed sedisse dicantur? An ipse etiam Cœlestis opifex volens tur-
Luc. 14. rim ædificare, quodammòdo priùs sedens sumptus computauit operi perficiendo necessarios? Computauit sanè; non tamen ambigens de opulentia sua; quippe cui ex ærario diuini Corporis paulò ante innumeris vulneribus recluso; profusa sanguinis ne dicam aurei, an auri sanguinei pretiosissima copia in numerato erat. Ergo inæstimabili pretio Christi pœnis insumpti ad sumptus suppetente, opus aggre-
Act. 2. diuntur linguæ dispertitæ, hoc est, commissa sibi ab architecto munera partitis locorum spatijs obeuntes, celeritate ignea, defatigatione nulla; cum videlicet ardoris æstum aura Spiritus vehementis temperaret, & operis laborem factus è Cœlo sonus iucundus al-

leuaret.

leuaret. Dumque magnalia Dei loquuntur, in magnitudinem planè diuinam Turris erigitur. Et quia hęc Turris exædificationis suę artifices habet linguas, vocalis euadit ac eloquens. Immò non aliud propè iam est ipsa, quàm Sonus in omnem terram effusus: *Psal.18.* nec tantummodò Cœlum enarrat gloriam Dei, sed terra etiam diuinum nomen, ac laudes vbique modulatur. Neque verò linguarum varietas, quæ hìc maximè emicuit, fabricam obturbauit: non enim varius, sed discors vocum sonus incommodàre potuit molitioni eius, quæ circumdata varietate perhibetur. Quin potius diuersi consensione sermonis tanquam concordi dissimilium chordarum sonitu beatus Artifex vero miraculo Ecclesiæ propugnacula fabrefecit. Etenim non sine firmissimis propugnaculis hæc Turris extruitur. Siquidem eam olim adumbrauit Turris illa, quam Regius Fidicen non tam auri impendio, quàm aureæ citharæ suæ sono construxit, Turris inquam Dauid ædificata cum propugnaculis, è qua mille pendebant clypei, & omnis *Cant.4.* armatura fortium, non tam nouorum instrumenta bellorum, quàm partarum monumenta victoriarum. Quod si clypeos, ac trophęa requirimus beatæ Turri præfixa; etsi alia complura non desunt, vel ipsæ hodiernæ linguę igne velut in oblongum scutum sinuato, pro clypeis refulgent. Decet enim ignea esse scuta, quæ aduersus tela nequissimi ignea opponantur; & victorię nullum magis vocale monumentum *Ephes.6.* suspendi potest, quàm Lingua.

Quis iam explicet istius Turris firmitatem simul,

ac

ac dignitatem? cuius fundamentum verè vſque ad
Marc. 16. tartara depreſsum, inferorum portas calcat, quę aduersùs eam non præualebunt; cuius latera felici, quia
Iſai. 14. minimè arroganti elatione in lateribus Aquilonis inſiſtunt, in quibus ambitioſus Lucifer ſolium collocare non potuit; cuius vertex ſupra omnium vertices montium erectus Cœlum & ſuſtinet, & pulſat, ligan-
Matth. 16. di atque ſoluendi ineluctabili poteſtate. Vbi ſecurior Virginitas, quàm in hac Turri, in quam pluuia germinans virgines aſſiduè de Cœlo profunditur? Vbi amplior Prouidentia? ſcilicet abundantiam in
Pſal. 121. Turribus eius futuram oracula cecinere diuina. Atq; vt vberrimam, & dulciſſimam alimentorum copiam
Cant. 8. hìc congeſtam intelligamus, vbera ſua ſicut Turrim eſse, ideſt ampliſſima lactis vi tumeſcere æterni ſponſa Principis Eccleſia ipſa conteſtatur. Vbi Tutela ſplendidior? hanc Turrim rectè nouam ac meliorem Pharum dixerimus, ex qua ardentes linguæ, hoc eſt non mutæ, ſed eloquentes prælucent faces; vt per obſcurum fluctuantis vitæ mare nauigantes homines & igne, & voce, hoc eſt duplici luce in cœleſtem portum dirigant. Vbi verior, ac maior Sapientia? certe ad hanc arcem, vt nationes omnes vocarent, diuina
Prouerb. 9. Sapientia miſit ancillas ſuas, flammeas videlicet linguas vni veritati ancillari edoctas, omnem mendaciorum vmbram igne lucidiſſimo diſſipantes. Et profectò qui populi admirabili concordia ſacrarum linguarum allecti hanc in Turrim non confluxerunt? Immò ipſimet tanquam viui lapides in huius ædificij compagem inſeri non contenderunt? homines ve-

rò tantum? quę belluæ, ideſt, quæ nationes ferinis moribus viuentes beatarum concentu linguarum huc pertractę non ſunt, vt in Domo Domini habitarent, crudelitate vel exuta, vel in ſuorum vltionem ſcelerum piè conuerſa? Hanc arcem ac Domum ſibi Sapientia ędificauit: hìc poſuit menſam inſtructam linguis charitate calentibus, edulibus ne, an edere, ac in ſeſe omnium corda mortalium conuertere cupientibus? hìc miſcuit vinum, quo Apoſtoli ſobriè vt nunquam ebrij Bacchum cum cæteris commentitijs Dijs ex orbe terrarum expulerunt. Vbi denique Maieſtas auguſtior? Quam Deorum Matrem falsò veteres crediderunt, eius caput corona è turribus compacta præcinxerunt: vt matronalem ſimul ornarent, ac munirent maieſtatem. Nos autem quanto æquiùs Eccleſiam Parentem Diuorum veriſſimam non ſolùm capite, ſed toto corpore Turritam hodie vener[illegible]ur. Neque mirum, ſi Turrim corpore pręferat ea, cuius in fronte deſcriptum Conditoris nomen inſtar arcis præfulget. Turris quippe fortiſſima nomen Domini. *Prouer.* 18. Non hanc matrem inconditus ęreorum ſtrepitus tympanorum, ſed concinna ignearum modulatio linguarum circumſonat: quæ nimirum Turrim quam ſemel conſtruxerunt, nouo ſemper cantu dilatant, dum dilaudant.

Siue igitur nos in Turri tam fortunata, vt eius propugnatores verſamur; linguis loquamur igneas voces vibrantibus, quibus veluti diſertis fulminibus hoſtes arceamus: Siue vt Diuini amoris captiui hac in arce detinemur; linguas vſurpemus


arden-

ardentes, quibus non tam vincula nostra incensa soluantur, quàm corda nouis castarum flammarum spiris, ac nexibus inuoluantur: Siue vt animati lapides ædificio beatissimo cohæremus;

1.Corinth.3. quoniam Dei ædificatio sumus, inhabitantem in nobis Artificem, Diuinum Spiritum, linguis operosis declaremus.

D I X I.





ROMAE,
Ex Typographia Francisci Corbelletti.
MDCXXXVII.

SVPERIORVM PERMISSV.